



propriè Lusitaniā appellant, cù  
nec totam Lusitaniam comple

tiorem Lusitanīā partem Portugallīā regi parere. Diuiditur verò Portugallia ī Transtāgnam, Ci-  
staganam, & Interamneim. Transtagna Bāticā partem carpit, eam scilicet, quē ab Ana fluui ad Regni  
limites porrigitur. Interamneim appello Portugalliam, quā est inter Durium & Minium fluuios, Regio  
non minus amoena quām fertilis. De amoenitate verò quid opus est dicere, cùm in ea numerata sint  
ultra viginti quinque millia fontium perennium: Pontes quadrato lapide elegantissimē constructi  
prope ducenti: portus marini sex. Quod propterea minimē tacendum duxi, quia bonitas & dignitas  
huius Prouinciæ ferē ignoratur. Huic Prouinciæ adharet ea quam Tran'montanam appellant, Regio  
optimi tritici, generolique vini fera, in qua est Brigantia, caput amplissimi Ducatus. Hæc ex Valeo.

Sub Portugallia hoc tempore Algarbiæ regnum (quā eius pars maritima est versus Meridiem) perti-  
net. Eius enim Rex, se Regenī Portugallīæ, Algarbiæ, Guineæ, Æthiopiæ, Arabiae, Persiæ & Indiae scri-  
bit. Hoc Regnum primum circa annum M. C. initium habuit. Ad ea enim vsq; tempora sub Hispaniæ  
nomine (vti & antiquitus) censebatur. Sic autem de eo Marineus scribit: Henricus quidam Lotharin-  
giæ Comes, vir in bello fortissimus, è Gallia veniens, magnas aduersus Mauros res gessit. Pro quibus Al-  
phonsus v. 1. Castellæ rex permotus, filiam suam notham nomine Tiresiam ei matrimonio collocauit.  
Et Galleciæ partem, quā in Regno Portugallīæ continetur, nomine dotis assignauit. Ex eo postea ma-  
trimonio natus est Alphonsus, qui primus Portugallīæ Rex est appellatus. Primus qui Vlixbonam à  
Mauris recepit. Quorum quinque simul regibus uno prælio superaris, quinque scutorum insigne, facti  
monumentum, posteris reliquit. Oliuerius à Marcha in Annalibus, lingua Gallica editis, paulo accu-  
ratiūs huius Regni arma depingit. Ait enim primò fulsi clypeum argenteum sine aliqua imagine, po-  
stea à deuictis quinque regibus, quinque cœruleos clypeos impositos, deinde his singulis clypeis quin-  
que argenteos obiculos additos, in memoriam quinque vulnerum Domini nostri Iesu Christi, quæ illi  
inter præliandum diuinitus in celo apparuerent; aut, vt alijs tradunt, quod quinque vulneribus mortife-  
ris sauciatus, Deo Opt. Max. opitulante, non occubuerat.

